

[Behemot ve-Leviyatan] i.e. Behemoth et Leviathan, elephas et balaena e Job XL. XLI in disputatione inaugurali ... adumbrati / [Georg Stephan Stieber].

Contributors

Stieber, Georg Stephan.
Baier, J. W.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altdorf : J.W. Kohlesius, 1708.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pt7nvpys>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.
בהמות ולויתן
i. e.

BEHEMOTH
ET LEVIATHAN,
ELEPHAS ET BALÆNA
è JOB. XL. XLI.

IN
DISPUTATIONE INAUGURALI
JUSSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS IN CELEBER-
RIMA NORICORUM UNIVERSITATE
ADUMBRATI, ET
P R Æ S I D E

DN. JOH. GUIL. BAIERO
h. t. MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,
PHILOS. NAT. ET MATHEM. PROF. PUBL.
PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO FIDELISSIMO
ET ÆTERNUM COLENDO, VENERANDO

PRO
SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
ET PRIVILEGIIS MAGISTERII RITE LEGI-
TIMEQUE OBTINENDIS
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI

subjiciendi per

GEORG. STEPH. STIEBERUM
SUABACO-FRANCUM, S. THEOL. & PHILOL. CULTOREM.
ad d. Jun. A. O. R. MDCCVIII.

ALT DORF! Literis JO DOCI WILHELMI KOHLESII Vnivers. Typogr.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO
WILHELMO
FRIDERICO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
BORUSSIAE, MAGDEBURGI, STETINI, POMERANO-
RUM, CASSUBIORUM ET VANDALORUM, NEC NON
SILESIAE ET CROSSENSII DUCI, BURGGRAVIO
NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII,
MINDÆ ET CAMINI, COMITI
HOHENZOLLERANO &c. &c.

PRINCIPI ac DOMINO
SUIO CLEMENTISSIMO

Humillimum animi cultum testatum facturus

HANC INAUGURALEM SUAM

devotissime consecrat

SERENISSIMÆ EJUS CELSITUDINIS

subjectissimus servus

GEORGIUS STEPHANUS STIEBERUS.

58700(15)





PROOEMIUM.

Fantlatis per Dei gratiam consuetis examinum laboribus, cum de Specimine Inaugurali publice edendo mihi esset dispiciendum, haut incommodum duxi, de Behemoth & Leviathan, celebratissimis in libro Jobi Animantibus, qualescunque cogitationes meas expromere; non, quod eas non viquid allaturas crederem, sed quod receptam plurimis Theologis nostris & Scripturae Interpretibus sententiam, ab aliis impugnata, collectis e Sacra Philologia & Naturali Historia rationibus vindicari quodammodo & uberius declarari posse sperarem. Nempe notum est, celeberrimos Viros, Samuelem Bochartum ac Jobum Ludolphum eatenus discessisse a communi Interpretum opinione, ut per Behemoth non Elephantum, sed Hippopotamum, per Leviathan non Cetum seu Balenam, sed Crocodilum indicari existiment, ac diversum sentientes erroris arguant. Quorum tamen ingeniosissimæ rationes non tam firmæ nobis videbantur, ut non firmiores pro communi Interpretatione suppeterent, Behemoth Elephantum & Leviathan Cetum esse suadentes. Eas ergo nunc breviter expositurus, primò quidem textum Jobi succincta Analysis evolvam & cum naturali animantium dictorum Historia conferam; postea argumentis contrariis respondere conabor. Quod ut feliciter cedat, ardentissimis Deum precibus invoco, ut sua gratia mihi adesse benigniter velit.

CAPUT I.

Ostendens quod per Behemoth optime intelligatur Elephanthus.

§. I.

Descriptionem τῆς **בהמות** Deus ipse ad Jobum verba faciens, cap. 40. v. 10. hoc modo auspicatur:
**הִנֵּה-נָא בְּהֵמוֹת אֲשֶׁר עָשִׂיתִי
 עֹמֵךְ הָצִיר כְּבָקָר יֹאכֵל:**

Verba ista B. Sebast. Schmidius commode sic transtulit : *Ecce, quaeso, Behemoth, quem feci tecum : gramen sicut bos comedit; Nec in his ulla est difficultas. Videamus statim utrum quadrent in Elephantum. Vox בהמות simplicissime statuitur esse pluralis num. a sing. Hebraico בהמה, quæ consensu Interpretum bestiam quadrupedem notat. Tametsi enim Bochartus in Hieroz. p. II. Libr. V. cap. XV. p. 756. contendit, Behemoth non plurale esse, sed singulare Ægyptium, idque pluribus Ægyptiorum nominibus in ωθ desinentibus, probare satagit : tamen B. Pfeifferus in dub. vex. p. 519. ex adverso notat, neque ipsam vocem esse Ægyptiam, neque apud Coptitas terminationem ωθ nominum formativam. Ponitur autem hic nomen generale pro speciali, & plurale pro singulari, propter excellentiam animalis quadrupedis, quod Deus describere intendebat, quodque κατ' ἐξοχήν sit בהמה, aut Princeps bestiarum, & una instar multarum; monente eodem Pfeiffero loc. cit. Enimvero & Græci & Latini Scriptores Elephantum simili nomine generali insignire amant; nempe illis frequenter dicitur θήρ, his absolute bellua, bestia. Testimonia hujus rei plurima collecta vid. apud Aldrovand. de quadrupp. Libr. I. c. IX. p. 197.*

§. II.

§. II.

Voculam עמך, *tecum*, satis recte exponit Bochartus, *juxta te*, i. e. *in vicinia tua*. Novimus enim Elefantos non solum in India orientali gigni, quæ utique longius distat ab Arabia Ausitide, Jobi patria, sed & in Africæ partibus variis, speciatim penes Troglodytas, trans mare rubrum, ex adverso Arabiæ, incolentes; Plinius Lib. VIII. Cap. XI. *Elephantos fert Africa ultra Syrthias solitudines, & in Mauritania: ferunt Æthiopes & Troglodytae, ut dictum est*; quare id genus animantium non magis ignotum esse poterat Jobo, quam vel Crocodilus, vel Hippopotamus, vel Nilotica alia.

§. III.

Dicitur vero de Behemoth, quod gramen חציר comedat sicut bos; חציר procul dubio est nomen generale, denotans varii generis herbas, quæ jumentis in victum cedunt. Unde Job. VIII. v. 12. juncus aqua destitutus arefcere dicitur לפני כל-חציר, *citius quam ulla herba*, sic vertente Drusio in h. l. confer I. Reg. XVIII. 5. Atqui Elefantos ex solis vegetabilibus cibum petere notissimum est. Jonstonus Hist. nat. de quadrupp. c. V. p. 33. ex fide testium idoneorum scribit: *Vescuntur herbis palustribus, arborum foliis, truncis, fructibus &c.* De Africanis seorsim Jobus Ludolphus Hist. Æthiop. lib. I. c. X. *Incredibile dictu est, quantum hi boves Luca stragem in sylvis & campis edant; arbores grandiores tamdiu mole corporis quantiunt, donec vel scapus frangatur, vel tota arbor cum radicibus, velut quodam terramotu evellatur. Mediocres manu paulo altius prehasas flectunt & confringunt, atque sic ramos cum foliis vorant. Frutices & dumos, fruges denique omnes, vel absument, vel obterunt.* Conf. quæ collegit Aldrovandus l. c. p. 214. & Casp. Hornius im *Historischen und Philosophischen Discours vom Elephanten* p. 62. Itaque nemo ambiget, quin istud de Behemoth dictum commode quadret in Elefantum.

Nervum vero totius argumenti in hoc versu contenti, quam optime expresserunt Vinarienses sequente Paraphrasi: Ob er gleich eine mächtige Stärke hat / so lebet er doch nicht vom Raub / wie die Löwen oder die Adler / denn sonst wenig kleine Thier bey ihm auffkommen würden: Sondern behülff sich mit schlechtem Gras und Heu / wie das Kind-Vieh. Er kan zwar nicht weiden wie Ochsen/Pferde und dergleichen / denn sein Hals ist zu kurz / und sein Leib zu groß und hoch / daß er das Gras auf der Erden nicht erreichen kan. Er behülff sich aber mit dem Rüssel und seiner langen Schnauzen / damit er Laub und Gras fassen und in sein Maul bringen kan / da hat er dann auf jeder Seiten vier Zähne damit er ihm sein Futter kauet und zermalmet. *Nec inelegans est observatio Cardani libr. X. de subtil. Oportuisse Elefantos, ut plantis, frugibus & herbis vescerentur; eam aliter probum animal esse non potuisse, quandoquidem omnia animalia, quæ carnibus vescuntur, sunt iracunda, fraudulenta, crudelia & superba.*

§. IV.

הנה-נא כחו במתניו ואונו בשרירי בטנו

Vers. Schmidii: *Ecce, quæso, robur ejus, (quod est) in lumbis ejus: & vim (quæ est) in nervis ventris ejus.* Verba ipsarum nihil obscuritatis habent; sed quo jure de Elephanto dici possint, id vero sollicitos habet interpretes; ac videtur hoc vel imprimis movisse Bochartum, ut negaret Elephantum esse Behemoth, quod hæc dicta cum natura Elephanti conciliare non posset. Equidem quod ad prius hemistichium attinet, in eo laborandum non est. *In lumbis enim (ipso Bocharto notante) sedem esse viriam, nemo nescit. Hinc Nah. II. 1. robora lumbos, Ps. LXIX. 24. lumbos eorum nutare fac. Itaque elumbis pro debili sumitur, & delumbare est debilitare.* Quantæ autem Elephan-

phantis in lumbis vires sint, vel hoc solum docere potest, quod arbores grandiores tam diu mole corporis quatiunt (sine dubio laterum ac lumborum veste applicato) donec vel scapus frangatur, vel tota arbor cum radicibus velut quodam terræ motu evellatur: quæ verba ex Job. Ludolpho jam supra citavimus. Sed de posteriore hemistichio magis ambigitur. Sive enim **שְׂרִירֵי בֶטֶנוּ** *nervos ventris* reddas, sive, quod aliis placet, & ex Ezech. XVI. v. 4. Cant. VII. 3. Prov. III. 8. probari solet, *umbilicum ventris*, neutrius aliqua singularis vis deprehendi Bocharto & sectatoribus ejus videtur. Etenim in confesso est penes scriptores, in Elephanto *durissimum dorso tergus esse, ventri molle*, ut Plinius loquitur Lib. VIII. c. X. Et hinc pervulgata relatio, an fabula, memorat, *Rhinocerotem Elephanti hostem in dimicatione ab eum maxime petere, quam scit esse molliorem*. Plin. loc. cit. c. XX. Inde aliqui vocem **אוֹן**, quam Schmidius vim reddidit, vertunt *molestiam, dolorem*, non invita certe Philologia, quæ utramque significationem usu receptam docet, vid. Lexic. Codurcus sane in h. l. Bibl. Critt. T. II. p. 1086. Cave, inquit, **אוֹנוּ** intelligas de robore Elephanti, ut Aben Ezra interpretatur, conferens locum Gen. XXIX. de Ruben, quem Jacob **רְשִׁית אוֹנוּ** appellat. Falsum enim est, Elephanti vires ventri inesse, cum nulla pars corporis ejus magis obnoxia sit offensionibus ob molliem. Sed hic **אוֹנוּ** significat ejus cruciatum, quia ea parte facile leditur, eaque potissimum infestatur. Et manifesta est oppositio, robur ejus in lumbis, & cruciatus ejus in cancellis ventris. Namque secundum Plinium l. cit. in Elephanto *tergus ventri molle est, setarum nullum tegumentum, ne in cauda quidem presidium abigendo tædio muscarum, sed cancellata cutis, & invitans id genus animalium odore. Ergo cum extenti recepere examina, arctatis in rugas repente cancellis, comprehensas enecant. Hoc iis pro cauda, juba, villo est.*

§. V.

Sed judicet qui potest , utrum credibile sit , Spiritum Sanctum voluisse hanc cutis mollitiem dicere *molestiam* aut *cruciatum* , quæ tamen sola sui contractione sufficit abigendis molestiis & enecandis insectis cruciatum inferentibus , quæque Elephanto pro cauda , juba , villo est. Ut taceam , oppositionem istam , in duobus versus hemistichiis , quæ Codurco arridet , admodum esse coactam & contextui adversam. Malumus ergo retinere significatum communioem vocis און , quo *robur* aut *vires* nervorum ventris vel umbilici notat , non quidem præcise robur adversus vim externam , quasi venter Elephanti nullo ferro sit penetrabilis ; (neque enim textus in specie quicquam determinat ,) sed respectu habito ad molem intestinorum & viscerum maximam , quæ in prægrandi corpore Elephanti per musculos ac ligamenta ventris atque umbilici continentur. Vis profecto non modica , si cogitemus Elephantum non e maximis , quem B. Sturmius noster peculiari dissertatione descriptum dedit , ambitum corporis habuisse pedum 13. ut spissitudo diametralis esset 4. pedd. & plus quam sesqui digiti.

§. VI.

Ordine justo nunc sequitur v. 12. sequenti fluens modo :

יִחַפֵּץ זַנְכוֹ כְּמוֹ-אָרוֹ גִּידֵי פִּחְדּוֹ יִשְׂרְגּוּ

Versio Schmidii:

Si concupiscit , cauda ejus erit sicut cedrus : nervi testicularum in ramos evadunt. Obscurior paulo est hic versus , variisque Interpretum expositionibus distractus : quare verba ejus , circa quæ imprimis ambigi solet , sigillatim evolvere juvabit. In priore hemistichio res fere tota redit ad sensum vocis זנב , quæ proprie & frequentius *caudam* animalis notat , metaphorice *extremitatem cujusque rei* , observante Ed. Leigh in Crit. S. ex Es.

VII. 4. ubi *Rezin* & *Pekah*, reges inimici, dicuntur זנבות העשנים העורים הcauda titionum fumantes, quæ verba ita παρρησιάζει B. Varenius in Comment. Duo illi reges, ut astuent & ardeant ira, tamen tantum abest, ut sint vere pruna ardentes, ut potius saltem sent, vel habeant se, velut particula quadam titionum, qua, cum nocere ardendo haut possint, magnum edunt fumum, & sic sunt extremitates titionum fumigantes. Hoc autem loco, ubi de corpore animali sermo est, sine dubio intelligitur membrum aliquod extremum, vel tali simile. Quodnam autem sit, de eo multum discrepant Interpretes. Plurimi putant intelligendum esse penem sive membrum genitale Elephanti masculi, ac pro sua sententia provocant partim ad præcedens verbum יחפץ, quod desiderium & oblectationem exprimit, ac de cæstro Veneris seu appetitu congressus commode accipi posse videtur, partim quod in sequente Versus parte testiculorum fieri mentionem sibi persuadent. At enim vero præterquam quod forte nullus in sacris parallelus existat locus, ubi nomen זנב pro genitali membro sumatur, nondum etiam evictum est, posterius Hemistichium loqui de testiculis: neque vel Elephanti, vel Hippopotami (quem Bochartus Elephanto substituit) penis prædicatum in textu positum admittit, quod nimirum sit instar cedri. Genitale enim Elephanti equo simile, sed parvum, nec pro corporis magnitudine, ut *Fonstonus* tradit l. c. Ad Hippopotami autem membrum ne Bochartus quidem id prædicatum ausus est accommodare, sed explicat de cauda ejus proprie dicta, ita tamen, ut nullam illius cum cedro similitudinem potuerit monstrare, præterquam glabriciem rotunditatem, spissitudinem & firmitatem, a quibus qualitatibus nullibi cedrus, quando Scriptura Sacra eam in comparisonem trahit, laudatur, verum semper a rectitudine & proceritate. Sed neque de Elephanti cauda propriè dicta propositio hæc accipi potest; & recte Bochartus in h. l. *Elephanti cauda est brevis.*

Nonnus in ejus descriptione Διονυσιακῶν I. XXVI. v. 315. λεπτοφυής, ἐλάχεια τινάσεται ἄσατος ἔρη, tenuis, parva agitatur instabilis cauda : Sed & Hippopotamus *brevem* habet *caudam*, *ratione corporis*. Itaque de utrovis intelliges, cedro non comparabitur ratione longitudinis.

§. VII.

Quodsi vero per נני intelligamus proboscidem Elephanti, quod Codurco etiam placuit, plana erunt omnia. Diesen Rüssel/ (inquit Casp. Hornius testis αὐτόπτης loc. cit. p. 14.) kan er ganz und gar zu sich anziehen / und wiederum weit von sich strecken bis auf die Erden auff die zehen Schuh lang. Obenher ist er ziemlich breit / abwärts spitzt er sich allgemach zu. Ecce meliorem hujus membri cum cedro convenientiam, quam vel caudæ, vel penis in antedictis animantibus. Neque abludit verbum נני, si reddamus : *cum volupe fuerit*, quæ communissima ejus significatio est. Et profecto ad nutum Elephanti extenditur proboscis atque obrigescit cedri in morem, præsertim cum cibum desiderans eam versus terram exporrigit. Quinimo præter longitudinem atque rectitudinem, etiam quoad robur proboscis Elephanti cum cedro comparari meretur. Ita enim de ea B. Sturmius loco citato scribit : *Subrigi poterat tanto robore, ut insidentem sibi Magistrum in sublime nullo negotio attolleret, & quaqua versum circumportaret.* Cap. I. §. 3. Equidem B. Pfeifferus censet, quamvis per נני non indigitatur genitale, sed cauda in sensu proprio, non tamen satis apte videri caudam capiti applicari: Sed profecto si נני generatim extremitatem notat, ut ostendimus, quid prohibet, quo minus extremam partem corporis anterioris eo nomine intelligamus? Usus enim loquendi fert, in omni re in longum extensa, aut quoad longitudinem spectata, duo concipi & nominari extrema, alterum a parte ante, ut Scholæ loquuntur, alterum a parte post, inprimis si inter utrumque aliqua intercedit figuræ similitudo, prout inter proboscidem Elephanti & caudam. §. VIII.

§. VIII.

Alterum Versus nostri hemistichium ad verbum latine red-
ditum sic se habet : Nervi pavorum ejus implicantur aut im-
plexi sunt. Circa quæ potissimum quæritur , quinam sint
illi nervi pavorum ? Plerique interpretes , cum viderent ner-
vos de pavore proprie non prædicari posse , significatum no-
minis פחד quod Hebr. pavorem notat , quærunt in lingua
Chaldaica , quæ פחדין ponit pro testiculis virilitatis. Schindle-
rus in Lexico hanc affert rationem , quod testiculi sint sedes pavo-
ris. Sed (1) hanc rationem falsissimam esse inde patet, quod bruta
pleraque mansuetiora tunc demum audaciam sumunt ferociam-
que, cum semen testium eos ad Venerem stimulat, ex adverso
autem castrata omnia magis imbellia timidaque existimantur.
Nec (2) probabile est, Deum, quando præstantiam Behemoth
sive Elephanti Jobo ante oculos ponere , & in memoriam re-
vocare vellet , ad testes ejus provocasse, qui fatentibus univer-
sis Scriptoribus intra corpus reconditi latent, neque aliter quam
per dissectionem belluæ in conspectum veniunt. (3) Periculo-
sum quoque est in Scripturæ explicatione ad exoticas confugere
linguas , ubi manifesta non cogit necessitas. Id ipsum ergo op-
ponimus etiam Bocharto , qui nomen פחד ex Arabica lingua
explicat femur ; tametsi non negamus , magis speciosam videri
hanc de nervis femorum expositionem, quandoquidem & Gen.
XXXII. 33. nomen גיד de hoc ipso nervo accipi creditur. Nobis
interim magis placet nervos pavorum interpretari de nervis
ipsius proboscidis , ut idem maneat in toto versu subjectum pri-
mariū. Schindlerus enim in Lexico bene monuit , nomen
פחד sæpe in Scripturis usurpari *metonymice pro causa pavoris*;
atque sic etiam Jobi XV. 21. קול-פחדים , vox pavorum,
pro voce pavorem incutiente : quidni ergo & גיד פחדיו reddi
queant nervi pavorem ejus indicantes ? præsertim cum hodie
quoque ab Anatomicis muscoli pudicitia , superbia, ebrietatis,
B 2 simili

simili prorsus modo dicantur. Utque ad scopum denique veniamus, Elephanti proboscidem ita comparatam esse, ut nervi ejus facile contrahi & implicari queant, hæc laudati Sturmii descriptio nos docet: *Substantia ejus nervoso muscularis est, valde mollis, flexilis & corrugabilis, sed obrigescere quoque apta; siquidem & in terram usque extendi valebat, vix tum humano brachio in extremis crassior, & retro colligi in unius fere cubiti brevitatem, sed valde spissa & lata tum evadens.* Quod vero etiam (2) ex pavore retrahant proboscidem, ipse Jobus Ludolfus cit. l. memorat: *Homines (scribens) non appetit barrus, nisi laceffitus; si forte obviam venerit, modo restites & baculo mineris, proboscidem sub ventrem occulit, & barriens abit; facillime enim amputari posse novit; Nervosissima est NB. extrema illius pars, ac tenerrima, cujus percussionem valde metuit.* Crediderim ergo, nihil in hac explicatione coactum esse, & utrumque hemistichium sic optime cohærere: Cum volet Elephas aut cibum appetet, proboscis ejus cedit in morem obrigescit atque porrigitur; ex adverso vero cum timet, nervi ejus extensi contrahuntur & ramulorum instar complicantur.

§. IX.

ψ. 13.

עַצְמוֹ אֶפְיָקִי נְחוּשָׁה גְרָמוֹ כְּמַטִּיל בְּרוּל:

Verfio Schmidii:

Ossa ejus sunt robora aris: Ossa ejus sicut vectis ferri. עצם & גרם in Scripturis promiscue alias ponuntur pro osse, & Chaldaica Verfio sæpius עצם per גרם transfert, vid. Schindl. Lex. in גרם, unde & Schmidius h. l. ossa repetiit. Alii tamen volunt, עצם notare ossa artuum grandiora, גרם minora sive articulos. Conf. Lex. Hebr. Henr. Opizii. Nobis hoc loco alia distinctio statuenda videtur, ut עצם notet ossa totius corporis, גרם dentes elephantinos, qui dubio procul osseæ sunt sub-

substantiæ. Præterquam enim quod non probabile est, Deum idem subjectum cum eodem quoad rem prædicato in uno versu bis ponere voluisse, etiam illud, cum quo **גור** comparatur, majorem cum dentibus Elephanti, quam aliis ossibus similitudinem habet. In Hebr. est **כמטיל בהול** quod optimi Interpretes vertunt, sicut *vectis aut virga ferri. Æs & ferrum soliditatis & duritiei symbola sunt*; Vid. Glas. Rhet. Sacr. p. 1249. Atqui dentes Elephantini & duritie præstant, & vectis formam usumque habent. Plinius lib. VIII. 3. *Circa dentes belluis summa cura: alterius mucroni parcunt, ne sit præliis hebes: alterius operario usu fodiunt radices, impellunt moles.* Crura vero, vasti corporis fulcra, facilius admittunt comparisonem cum ære fuso, ut Bochartus verba **אפקי נחושה** nomini **עצ** apposita accurate reddidit. Crassitie enim & firmitate æmulantur columnas ex ære fusas. Sturmius loco citato Cap. I. §. I. *Pedes, inquit, habebat quasi cylindricos & columnarum instar erectos, ita ut ima planta, non admodum ultra superiorem spissitudinem prominens, latitudine quatuordecim, longitudine autem octodecim digitos adæquaret &c.*

§. X.

v. 14.

הוא ראשית דרכי אל העשו יגש חרבנו:

Versio Schmidii:

*Ille est principium viarum Dei, factor ejus facit (eum) appropinquare (ad se quasi) gladio suo. In priore hemistichio laudatur Behemoth tanquam opus Dei in suo genere præcipuum & eximium. Nam ראשית in sacris non solum notat primatum ordinis, sed & perfectionis ac dignitatis vid. Ed. Leigh Crit. Sacr. per רך vero sapientissimam Dei rationem agendi indicari, nemo sacrarum litterarum non rudis ignorare potest. Atqui de Elephanto rursus Plinius lib. VIII. c. I. *Terrestrium animalium**

maximum est Elephas, proximumque humanis sensibus &c.
 & profecto, si insignes ejus dotes, de sapientia creatoris testan-
 tes enumerare vellemus (quarum omnes pene libri pleni sunt),
 multo majora dare possemus, quam Bochartus de suo Hippo-
 potamo. Sed non opus est actum ut agamus.

§. XI.

In altero versus nostri hemistichio mirum in modum va-
 riant explicationes Auctorum. Coccejus in Comment. verba
 יגש חרבו vertit: *Factor ejus continet gladium ejus,*
h. e. insertum & adstrictum tenet, ne educat aut stringat &
porrigat gladium suum: idque defendere conatur ex 2. Sam.
 III. 34. ubi הגשו חרבו constricti sunt notet. Piscator per gladium intel-
 ligit promuscidem Elephanti qua eum Deus quasi gladio ac-
 cinxerit mirabiliter; consentit Tremellius in Bibl. suis p. 472.
 Mercerus posuit suam sententiam, de hac ipsa tamen ipse du-
 bitat: Solus ille, dixit, qui ipsum condidit, eum vincere &
 perimere potest, non homo, ita vastæ molis & roboris immensi
 est, ut eum sibi homo non possit unquam subjicere. Sed mox
 alia ponit verba: Verum, dicit, suapte natura (ut hic descri-
 bitur) indomabilis est & invictus Elephas, nec nisi a Deo subjici
 potest. Inde ejus ostenditur robur & moles, quod Deo soli
 datum sit eum subjicere. Ac forsan eo tempore nondum ita
 vulgare & mansuetum aut cicurabile animal erat Elephas. B.
 Schmidii sententiam ex adducta Versione perspicere licet. Intel-
 ligit quippe per factorem ejus Deum creatorem, יגש in Hiphil
 reddit *accedere facere* & subaudit אותו *eum*; denique sup-
 plet in כחרבו similitudinis, & כ instrumenti, vertitque quasi
 per gladium suum, quod & B. Lutherus noster fecit, transferens:
Er greiff ihn an mit seinem Schwert. Apparet vero ex
 his, plerosque consentire in eo, quod verbis istis exprimat
 sapientia Dei in compescendo animali tam magno & robusto,
 ne viribus suis in nocendo aliis abuteretur. Ac ut verum fatear,

Cocceji mihi perplacet sententia , secundum quam & utrumque hemistichium , & versus totus cum antecedente & consequente pulcherrime cohæret. Ita enim nunc licet παραφράζειν versum hunc & præcedentem : Ossa Elephanti sunt velut columnæ æreæ , dentes sicut vectes ferrei. Quinimo ipse est maxima & robustissima creaturarum terrestrium : Nihilominus sapiens Creator adduxit ac cohibet ferrum ejus vel arma , (id est , dentes vecti ferreo similes,) ne iisdem præter modum sæviat. Namque (ut versum sequentem 15. statim jungamus) *pabulum montes proferunt illi : & omnes bestia agri ludunt ibi.* i. e. Ex ordinatione Dei contentus vivit Elephas eo pabulo , quod ipsi montes & silvæ e terra proferunt : Ceteris autem animantibus adeo non noxius est , ut omnes eorum species in vicinia ejus secure vivant ludantque. In Hebraico textu verba sic se habent :

כִּי-בֹל הָרִים יִשְׂאוּ-לוֹ וְכָל-חַיַּת הַשָּׂדֶה יִשְׁחָקוּ שָׂם

quibus utpote planissimis , & cum versione data penitus contentientibus , non opus est , ut diutius immoremur. Juvabit saltem de Elephanto adjungere testimonium Plinii sequens : *Ipsius animalis tanta narratur clementia contra minus valida, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat , ne quod obterat imprudens : nec nisi laceffiti noceant.* Hist. nat. l. VIII. c. VII. Aristoteles quoque summus Philosophus id confirmat, dicens : Πάντων δὲ τιθασώτατον ἢ ἡμερωτάτον τῶν ἀγρίων ἐστὶν ὁ ἐλέφας. Elephante omnium ferarum mitissimus & placidissimus est, vid. ejusd. Hist. animal. Libr. IX. c. XLVI. Nec præterire possumus lepidam historiam a Joh. Schreyer in Itinerar. Ind. Orient. germanice edito memoratam p. 22. Ein Frankmann/ inquit , war einsten mit auf die Parthen / Vieh einzubringen / commandiret worden / es hatte sich aber derselbe von seiner Gesellschaft verirret. Dieweil er solche nicht antreffen kunte / wanderte er wieder nach der Bestung

Bestung zu / hatte anfänglich keinen Fußpfad vor sich / endlich traff er einen solchen von Elephanten getretenen Steig an / er meinte nicht anders / denn daß dieser Weg von Menschen getreten der rechte Weg sey / der ihn an den bewußten Ort führete ; indem er nun zwischen den Büschen daher gieng / und weder zur Rechten noch Lincken ausweichen kunte / begegnete ihm ein grosser Elephant / keiner kunte dem andern weichen / doch war der Elephant so gütig / daß er diesen Franzmann mit einem seiner grossen Zähne fassete / und sanfftiglich über das Gebüsch hinüber warff / und seinen Weg fortwanderte / welcher Fall dem Franzosen nichts geschadet.

§. XII.

Elephantum in montibus pascentem degentemque versus 15. exhibuit , at duo proxime sequentes ejus in palustribus & aquosis habitacula describunt. Ita enim v. 16. & 17. in Hebr. fluunt:

תַּחַת-צִיְאֵלִים יִשְׁכֵּב בְּסִתְרֵי קִנָּה וּבְצֵה : יִסְכְּהוּ צִיְאֵלִים
צִלְלוּ יִסְכְּהוּ עֲרֵבֵי-נַחַל :

Versio Schmid.

Sub umbrosis cubat , in abscondito calami & fimi. Obtegunt eum umbrosa , umbraculum ejus ; circumdant eum salices torrentis. Vocem צִיְאֵלִים optime exponit Eduardus Leigh arbusta vel germina juxta aquam aut lutum , magnam facientia umbram , sub quibus cubare aut recumbere quietis causa dicitur Behemoth , nec non in latibulo arundinis & cæni sive paludis. Hæc enim propria significatio est nominis בְּצֵה. Versus 17. hæc ipsa aliis verbis saltem specialius exprimit : tegunt eum arbusta , quæ sunt umbraculum ejus , vel (ut Bochartus mavult , suppleto כ instrumenti) umbra sua : circumdant eum salices fluminis aut torrentis. Nempe id imprimis urgere & extollere vult Deus , quod Behemoth , bellua maxima , non solum quando inter animantia

mantia terrestria vivit ac per montes vagatur , mansuetissima sit, sed & in aquosis tractibus placidam vitam agat. Quare insigni pathemate geminaque usus paronomasia v. 17. loquitur: **יִסְכְּהוּ יִסְכְּהוּ & צְאִלִים צֵלְלוּ**. Nos vero statim videbimus quomodo ad Elephantum dicta accommodari possint. Pridem est, quod elephantorum diversas quasi species constituerunt & agnoverunt autores, in diversitate natalis soli victusque & proprietatum independentium fundatas. *Differentia*, inquit Jonstonus de Quadrupp. L. I. C. V. p. 37. & genera a locis imprimis sumuntur, seu Philostratum, Ælianum & Plinium spectes, seu recentiores. Sunt enim alii palustres, alii montani, alii campestris, alii sylvestres, &c. de quibus singulis plura ibidem relata videri possunt. Præcedente autem pag. 33. scribit: *Roscidis & palustribus locis maxime delectantur, amnesque amant, in calidioribus imprimis regionibus.* Quin etiam Aristoteles ad duplicem vivendi rationem Elephantum respiciens, de Partibus Animal. Lib. II. Cap. XVI. hæc posuit: *τὴν γὰρ φύσιν ἐλωδες ἄμα τὸ ζῶον ἐστὶ, καὶ πεζόν.* Est enim hoc animal sua natura simul terrestre & palustre. Quod vero speciatim arundines amet Elephas, ostendit Diodorus Siculus Lib. IV. cap. 4. loquens de quibusdam Æthiopiæ populis: *Accedunt, inquit, ad eos ex superiori plaga Elephantum, allecti, ut quidam tradunt, fertilitate loci pastusque suavitate: Paludes enim mirandæ a ripis fluvii manant, in quibus multi variique, ut alga & arundines, nascuntur cibi, quos cum degustant, libenter in his locis morantur, &c.* Quæ verba adduxit Aldrov. l. c. p. 214.

§. XIII.

Elephantem quieturum & posse & solere procumbere, nemo hodie post tot experimenta ac testimonia cum ratione ambiget. Audiamus in re clarissima unicum testem B. Sturmium l. c. §. VI. Illud, ait, circa pedes Elephantis adnotare supra negleximus, quod flexuras suas & juncturas habeat, contra ac vulgaris fabula

fabula circumfert, eos stantes ad arborum caudices dormire &c. Nostrum certe flexis tam anterioribus quam posterioribus cruribus humi decumbentem vidimus ac resurgentem, tametsi non sine difficultate utrobique, ob corporis ingentem molem. Ceterum & Aristoteles & plerique autorum affirmant, elephantos solitudines petere coituos, sed præcipue secus flumina $\pi\epsilon\rho\iota\ \tau\alpha\varsigma\ \kappa\omicron\tau\alpha\mu\epsilon\varsigma$ & qua pasci consueverunt, Hist. anim. Libr. V. cap. 2. Plin. Lib. VIII. cap. 5. Aldrovandus addit ex Etymologo, coire non in terra propter corporis gravitatem, sed in aqua palustri, quod leviores nimirum fiant, aqua attollente corpus maris confensuri feminam. p. 215. Adeo omnia textus Jobæi verba tendunt in Elephantum.

§. XIV.

Dispiciamus nunc etiam de v. 18. qui fortitudinem $\tau\delta$ Behemoth adversus fluviorum vim atque impetum describit his verbis:

הֵן יַעֲשֶׂק נָהָר לֹא יַחֲפוּז יִבְטַח כִּי־יָגִיחַ יַרְדֵּן אֶל־פִּיהוּ

Verf. Schmid.

Ecce urgebit flumen, nec festinabit: confidit cum tendet Jordanem ad os ejus. Non immorabimur hic diversis Interpretum de sensu hujus dicti sententiis enarrandis, sed illud saltem notabimus, alios vocem נָהָר flumen in Accusativo sumere, quasi Behemoth urgeat aut opprimat, sistat, objectu corporis sui, flumen integrum; qua ratione Auctori sacro affingitur portentosa hyperbole, ut bene monet Bochartus l. c. alios vero malle Nominativum, ut sensus sit: Ecce premet aut obruet eum (Behemoth) fluvius: tamen non trepidabit aut emergere festinabit: (verbum enim חָפוּז trepidam festinationem denotat) quin imo confidet, securus erit, quamvis erumpat Jordan ad os ejus, vel super os ejus. Ita Bochartus, verbum נוּחַ in Hiphil rectissime vertens prodire, erumpere, ex locis parallelis plerisque; in quo ergo & nos
eum

eum sequimur. Credimus vero Jordanem Palæstinæ fluvium exempli loco in textu nominari, quia forte ejus magnitudo & profunditas præ aliis explorata erat Jobo, qui exinde de fortitudine Behemoth facillime poterat judicare.

§. XV.

Neque vero nobis difficile erit hæc dicta acommodare ad Elephantum. Ita enim de eo Aristoteles Hist. Anim. libr. IX. C. XLVI scribit: Ἐστὶ δὲ τὸ ζῷον παραποτάμιον, ἔ ποτάμιον, ποιῆται δὲ καὶ διὰ τῆ ὕδατος τὴν πορείαν. Ἔως τῆς δὲ προέρχεται, ἕως ἀν ὁ μυκτήρ ὑπερέχει αὐτῆ. Αναφυσᾷ γὰρ διὰ τῆς, καὶ τὴν ἀναπνοὴν ποιῆται, νεῖν δὲ ἔ πάνυ δύναται, διὰ τὸ τῆ σώματος βάρους. *Riparium animal est, non fluviatile. Incedit tamen etiam per aquam, & eatenus progreditur, quatenus ejus proboscis superat. Respat enim per eam & respirationem perficit: sed natate satis pondere sui corporis non potest.* Idem vero etiam repetit Libr. II. c. I. & de part. Anim. L. II. c. XVI. ubi hæc insuper habet: *Quale urinatorum nonnulli instrumentum sibi accipiunt, quo quamdiu in profundo manent, aërem extrinsecus trahant, talem natura Elephanti dedit, narem illam praelongam.* Atqui nihil magis congruum textui nostro dici poterat. Quando enim Elephas flumen ingreditur, usque quo saltem proboscis exserta eminent, utique flumen proprie loquendo eum premit; neque tamen ingentem istam corporis molem vel prosternere valet, vel suffocare, tametsi super os & ipsum caput aquæ prodeant, ore scilicet sub aquis clauso, & spiritu per proboscidem libere ducto.

§. XVI.

Supereft versus 19. hujus tenoris:

בְּעֵינָיו יִקְחֵנוּ בְּמוֹקְשָׁיו יִנְקֵב-אֶת

Versio Schmidii:

Oculis suis trahit eum & (quasi) laqueis perforat nasum ejus.

Quot capita Interpretum , tot habemus fere hujus dicti sensus. Nonnulli de immenso potu Elephantis interpretantur hoc modo: Oculos in Jordanem conjiciens , videtur eum totum sumturus. Sed sic rursus durissima Hyperbole textui affingitur , nec posterius hemistichium , nisi admodum coacté , cum priore connecti potest. Alii credunt hic innui pugnam Elephanti cum Draconibus seu serpentibus. Narratur enim , erigere se contra Elephantos hostem Draconem & petere oculos , ut plerumque cœci & fame & mœrore confecti inveniantur. Præterea nodos implexorum suis gressibus Draconum manu resolvere cum parat Elephante , Dracones in ejus narem caput condere & simul spiritum præcludere , partemque mollissimam lancinare ; quæ de re pl. vid. ap. Aldrovand. p. 217. seq. Verum etsi forte prædicata in textu posita huc trahi possent , desideramus tamen mentionem Draconis in versu nostro aut præcedentibus. Neque enim credimus , subjectum tam speciale & non facile conjectandum reticere voluisse sacrum Scriptorem. Alii rursus venationem Elephantorum putant delineari , & subjectum supplet Venatorem. Bochartus vero de suo Hippopotamo interrogative exponit h. m. In oculis ejus (i. e. aperta vi & manifesta) quis capiet eum , & hamis perforabit nasum ? Sed quemadmodum isti nullum hæctenus Elephantos capiendi modum receptum ostendere potuerunt , qui cum textu nostro , speciatim quoad perforationem narium proprie conveniat , ita in Bochartum jure retorquemus id , quod ipse Kimchio , versum 16. interrogativè explicanti , *an sub umbrosis cubat &c.* objecerat : *Hoc si admittatur , nihil est in Scriptura tam disertum , quod non possit eludi.*

§. XVII.

Nos ergo malumus ire in sententiam B. Schmidii , quæ subjectum hujus versus statuit ipsum Deum , qui oculis suis , i. e. nutu suo Elephantum regat , & (suppleto rursus \sphericalangle similitudinis) quasi

quasi laqueis hamisve perforet nasum ejus. Nam cum scopus totius narrationis de Behemoth eo tendat, ut Jobus ex magnitudine hujus creaturæ, magnitudinem & potentiam creatoris agnosceret, utique is, qui Behemoth superior esse dicitur, non alius intelligendus est, nisi Deus. Accedit quod v. 14. expressum subjectum *Deus factor illius* exstat, quod in v. ult. deficiente alio tutissime repetitur. Denique notum est, *oculum* in sacris sæpe denotare *providentiam*, velut Prov. XX. 8. Rex oculis suis dispergit omne malum: מורה בעניו כל-רע quidni ergo dici posset, Deus oculis suis capit ferum Elephantum? Similiter ponere circulum in naribus alicujus, est, eum pro arbitrio regere ac ducere quo velis. 2. Reg. XV. v. 28. (vid. Flacii Clavis p. 722.) cur non & perforare nasum hamo aut laqueo eodem modo queat explicari?

CAPUT II.

Objectiones Celeberrimorum Virorum, Sam. Bocharti & Jobi Ludolfi adversus communem sententiam, qua Behemoth Elephanthus esse statuitur, diluens.

§. I.

Quanto prolixiores capite præcedente fuimus in probanda sententia communiore, qua per Behemoth Elephantum denotari statuitur, tanto breviori opera nunc objectiones adversus eam motas expedire ac diluere licebit. Quoniam autem nemo vulgatam illam interpretationem majore vel ingenio vel molimine impugnavit, præterquam magnum illud virorum par, Samuel Bochartus ejusque Hyperaspistes Jobus Ludolfus, idcirco, cum eorum dubiis satisfactum fuerit, ceteris omnibus satisfactum fore putamus. Ludolfus quidem

in Comment. ad Hist. Æthiop. libr. I. c. XI. p. 156. Hæc duo interpretationi ac censuræ suæ in vulgatam hypothesein præstruit principia : (1) *Sacri Scriptoris scopum esse, singulare quoddam animal nobis proponere, in quo admiranda Creatoris omnipotentia elucescat, & quod hominem ad admirationem creaturæ cujusdam stupenda permoveat.* (2) *Naturam, seu indolem cujusdam animalis naturalem hic describi, quod natura & semper, non casu vel ex accidenti id facere consuevit, quod hic de eo dicitur.* Prius illud facile possumus admittere : sed posterior profecto ipsius Bocharti & Ludolfi sententiam evertit. Nam cum ex ipsorum mente v. 15. Hippopotamus *in montes aut colles* pastum egredi dicitur, certe fatentibus ipsis, id non fit *natura & semper*, sed *casu vel ex accidenti*, quando scilicet in planitie pabulo destituitur. Ordinarie enim *Hippopotami egrediuntur ad pascendum in terra in locis quibusdam planioribus* : ut ipsemet Ludolfus ex B. Tellezio tradit. p. 151. Itaque nemo nobis vitio vertet, si posterius hoc principium limitando dicamus, non solum illud de Behemoth in textu memorari, quod semper & ordinarie, sed & quod sæpius, naturali tamen instinctu facit.

§. II.

Jam vero ex priore principio (1) objiciunt, cum v. 10. Behemoth dicitur gramen comedere sicut bos, verum quidem id esse de Elephanto, sed nihil mirum, quando quidem *bos & Elephas ex aquo jumenta sint* : Jumenta autem plantis victitare notissimum. *Carnivora animalia terrestria multo esse minora, ut nemini facile in mentem veniat, quod carnibus & sanguine vivat Elephas.* Cum vero Deus intenderit admirandum quoddam Jobo proponere, utique non Elephantum intellexisse, sed *animal aquaticum, de quo revera mirum sit, quod herbis vescatur.* At enim vero, etsi fatemur, Deum imprimis admirationem sui que venerationem his dictis in Jobo excitare voluisse, tamen non necessum fuit mera phænomena Jobo ignota aut rariora

rariora proponere. Sane hoc ipsum admiratione dignissimum est & sapientissimam Dei providentiam fatis extollit, quod non beluas terrestres maximas robustissimasque carnivoras fecerit, sed minores saltem, quæ minore hominum ceterorumque animalium periculo ac detrimento carnibus nutriri possunt, quam si Elephantorum ventres iisdem explendæ forent ac satiandæ. Conf. ea, quæ cap. præc. ex Vinariensibus in h. l. adducta sunt.

§. III.

(2.) Objiciunt, Elephanto non posse tribui robur in umbilico ventris, cum constet tergus ejus ibi esse mollissimum ac nulla parte facilius lædi, quam ventre. Sed respondemus, neutiquam textum dicere, quod Behemoth vires sui corporis præcipue sitas habeat in umbilico ventris, verum hoc saltem, quod umbilico ventris insint vires insignes: idque de Elephanto verissimum est, si respiciamus ad maximam viscerum molem, quæ ligamenti umbilici & ventris portantur. Imo in eo vis argumenti posita videtur, quod cum cutis elephanti in ventre paulo mollior sit, tamen ligamenta dicta per Creatoris sapientiam ea firmitate polleant, quæ tanto ponderi sustinendo par sit. Neque vere habet Bochartus, quo de robore ventris Hippopotami sui tantopere gloriatur, *Hippopotamus, scribens, ventre & umbilico non minus, quam reliquo corpore tectus est & quasi cataphractus impenetrabili corio.* Nam illud de ventre & umbilico nullus autorum ab ipso citatorum asserit, sed Bochartus ex sua mente supplevit, ea sola nixus ratione, quod nemo contrarium scripsit. Atqui paulo post (pag. 763.) amplectitur suoque assensu probat hanc Ammiani de Hippopotamo narrationem, quod *cum aviditate nimia extuberato ventre pigrescit, super calamos recens exsectos femora convolvat & crura, ut pedibus vulneratis cruor egestus, sagina distentum faciat levem, & carnes saucias cæno oblinat; quamdiu incitrices convenient plagæ; quam quidem spontaneam venæ sectionem*

Etionem fabulosam credit laudatus supra Joh. Schreyer in Itiner. p. 81. Sed tamen ipse mox addit: Daß sie sich aber in scharffen Storzeln und Niedstöcken gegen ihren Willen wohl verwunden / kan man genug an denen Narben sehen / welche an ihrer Haut erscheinen. Qua igitur fronte Bochartus impenetrabile toto corpore corium dicere potuit, quod a calamis recens exsectis tam facile penetrari solet? Itaque nihil præ Elephanto hic obtinebit Hippopotamus.

§. IV.

Pergit tamen (3) Bochartus ex v. 13. argumentari, quod cum Elephas nihil habeat dente durius, & tamen Hippopotami dens duritie præcellat, ideo comparatio vectis ferrei non ad illum sed hunc pertinere possit. Sed resp. negando consequentiam: Sufficit enim quod Elephantini dentes & in se satis duri sunt, & istis Hippopotami majores, vectique figura & usu propinquiores: similiter, quando (4) ad versum 14. quærit Bochartus: *Si ad Elephantem referas hæc Jobi verba: Quid in illo erit harpe aut gladius? An dentes qui innoxii sunt? Aut promuscis, quæ cum gladio nihil habet similitudinis?* in promptu responsio est, utique dentes Elephantis hoc nomen mereri, quippe quorum mucrones ad prælia servare supra e Plinio docuimus. Neque enim alia ratione innoxii dici possunt hi dentes, nisi quatenus singulari Dei providentia cautum est, ne temere noceant, alias satis futuri noxii; quod ipsum hic Jobi versus voluit insinuare.

§. V.

Inprimis vero (5) ex v. 16. 17. 18. argumenta petunt Bochartus & Ludolfus: *Egregium vero, inquit, Elephantum latibulum (arundo & cænum) quos scribit Ælianus ire per maximas arbores ut per segetes &c.* Urgent quoque, Elephantum, teste Plinio, *nare propter magnitudinem corporis non posse:* Denique Livium Lipsiumque auctores citant, quod *belluæ illæ timeant*

timeant altitudinem fluminis, nec temere aquam ingrediantur. &c. Sed profecto non sequitur: quoddam genus Elephantorum in sylvis habitat; Ergo nullum in paludosis: Hannibalis Elephanti & quos Lipsius vidit, aquas profundiores timuerunt; E. omnes id faciunt: Teneatur modo discrimen inter Elephantos montanos, sylvestres, campestres atque palustres, de quo plura in præcedentibus, & concordabunt inter se loca a nobis supra adducta atque illa, quæ nobis opponuntur. Neque etiam firma est hæc consequentia: Elephas inscius est nandi. E. pavebit cum fluvius erumpet super os ejus. Nam ipsemet Celeb. Ludolfus l. c. admittit testimonium Aristotelis, quod *eatenus aquam intret Elephas, quoad proboscis elata aquæ superficiem superet, ut respirare possit*; imo præced. p. 184. exempla profert Elephantum flumina sponte transeuntium. Quod vero nihilominus excipit: *Non pavefceret Elephas, si Jordanes superfunderetur ejus rostro?* Id neque Scriptor sacer de Behemoth dixit, neque nos de Elephanto. In textu enim saltem hoc ponitur, non pavefcere Behemoth, si Jordanes superfunderetur *ori* ejus: *Os* vero Elephanti & *rostrum* seu proboscis multum differunt. Quæ ex versu 19. DN. Ludolfus nectit argumenta, nostram non feriunt explicationem, sed eorum, qui de venatione Elephantorum ibi sermonem esse statuunt: neque igitur, opus est, ut hanc controversiam nostram faciamus.

CAPUT III.

Docens, quod per Leviathan non indicetur Crocodilus, sed Cetus seu Balæna.

§. I.

A Behemothi Descriptione Job. XL. transit Deus ad Leviathan, ejusque Historiam per totum Cap. XLI. protendit, (α) agens de difficili ejus captura (β) de mirabili

bili corporis structura, quam per membra potiora ordinatissime prosequitur, (γ) de robore ejus (δ) de actionibus (ϵ) de eminentia. Nos ergo promissi memores, qua fieri poterit brevitate hunc textum evolvemus, ostensuri, quod per Leviathan proxime indicetur genus piscium, omnium quos Oceanus alit maximum: tametsi Bochartus hic rursus a communiore explanatione discesserit, multosque in suam sententiam, quod Leviathan sit Crocodilus, pertraxerit, quos inter Jobum Ludolfum & Augustum Pfeifferum imprimis nominare fas est.

§. II.

Id vero dum aggredior, non necessarium duco multa de origine nominis Leviathan præfari, quo labore pridem egregie functus est laudatus Bochartus Hieroz. tom. II. L. V. c. XVI. p. 770. sed sufficit, quod ipsemet l. c. fatetur, *nomine Leviathan passim cetos & balenas appellari*, ut *Pf. LXXIV. v. 14. & CIV. v. 26. & Es. XXVII. 1.* Quo simul conceditur, nomen in textu Jobi positum non adversari sed favere illi hypothese, quæ textum hunc de ceto exponit. Ceterum quia & hoc in confesso est, nomen Leviathan alibi promiscue denotari marinas belluas grandiores, neque hic necessum fuerit, ea quæ de Leviathan dicuntur ad unam solam speciem specialissimam restringere, quod Grotius & Codurcus in h. l. fecerunt, sed probabile potius est, Deum integri cujusdam generis mirandas proprietates recensere voluisse, ut B. Lutherus censuit in not. marg.

§. III.

His vero præmissis videamus, (*a*) quidnam de difficili captura $\tau\delta$ Leviathan Deus cap. XL. v. 20. loquatur:

תִּמְשֹׁךְ לוֹיָתָן בַּחֲבֵה וּבַחֲבֵל תִּשְׁקִיעַ לְשׁוֹנוֹ :

Versio Schmidii:

Num trahes Leviathanem hamo? & in funem demerges linguam ejus. Consentiant fere interpretes, quod verbum תִּמְשֹׁךְ perinde ut cetera quæ sequuntur ad versum usque 27. interrogative fumen-

dum

dum sit; num trahes Leviathanem? ita tamen ut interrogatio fortius neget, ac idem sit, atque nunquam trahes. Nomen vero חכה derivatum a חן *palatum*, sine dubio notat hamum sive uncinum acutum, qui e funiculo suspensus cum esca apposita sub aquas demittitur, & a piscibus cum esca ore acceptus, palato eorum infigitur, ut a piscatore captivi extrahi possint ex aquis. In vernacula nostra ei respondet vox *Angel* / non *Hamen* / quæ retium species est. Hanc ergo capturæ speciem de Leviathan primo negat Deus, ac eodem tendit posterius Hemistichium: *Num in funem demerges linguam ejus?* quod Bochartus per Hypallagen dici autumat pro *funem demerges in linguam*. Optime enim intelligitur funiculus hamo alligatus & linguæ piscium perforatæ cum hamo infixus. Neque dubium est, quin negatio hujus capturæ penitus quadret in cetos, ut supervacaneum sit hic rationibus conquisitis probare. Equidem Frid. Martens in *der Spitsbergisch. Reisbesch.* quæ Hamburgi Anno 1675. in 4. prodiit, part. 4. c. VI. p. 97. de captura canis carchariæ germ. *Han* / piscis sane prægrandis scribit: *Man fanget sie am besten auf nachfolgende Art. Sie nehmen einen grossen Angel / der an einer starcken Ketten feste gemacht / auf den Angel stecken sie ein Stuck Fleisch / und lassens bey dem Schiff wieder in die See / darauf laufft der Han zu / und verschlingt das Fleisch mit dem Angel; dann hohlen sie den Strick / daran der Angel mit einer Ketten fest / wieder in das Schiff. Wann aber der Han merckt / daß er feste ist / braucht er seine äusserste Macht und gedencckt den Angel abzubeissen / das ihm aber verbotten ist / denn das Eisen ist ihm zu hart abzubeissen / &c.* atque jam olim Oppianus Halieutic. Lib. V. receptam sua ætate capiendi cetos rationem iisdem prorsus circumstantiis, sed majore multo verborum apparatu describit; veruntamen ea, quæ de bellua capta memorat, statim ostendunt, non cetum esse, sed ipsum

canem carchariam. Ita enim in latina versione de dentibus ejus scribitur:

*Illi admirantur rictu triplici ordine natos
Terribiles, flexos sicuti venabula, dentes:*

qui triplex ordo dentium flexorum cani carchariæ proprius est, nec in ulla, quod sciam, cetorum specie observatus. vid. Fried. Martens l. c. Accedit, quod in balænæ ventriculo & intestinis nil unquam, nisi mucus, spuma, aqua, alga foetida, cum exiguis conchis marinis, repertum fuerit; unde apparet, carnivoram non esse, neque adeo carnibus hamo infixis capiendam. Conf. Aldrovand. de Cetus Cap. III. p. 263. Fr. Martens l. c. p. 107. De cetorum autem cibo nihil aliud habet Aldrovandus, quam quod harengis potissimum inhient. p. 260.

§. IV.

Versus sequens 21. tractationem piscium hamo captorum exprimere ac de Leviathano negare videtur his verbis:

הַתְּשִׁים אֲנִי בְּאָפוֹ וּבְחֹךְ תִּקַּב לְחַיִּי

Num pones juncum in nasum ejus & spina per forabis maxillam ejus. Cum Versio hæc propriissime exprimat textum Hebr., non est cur quidquam in ea mutemus, præsertim, cum & res ipsa adstipulatur. Quem enim fugit, pisces siccandos minores aëre vel infumandos, v. gr. haleces a piscatoribus ex junco per nares ducto solere suspendi? Majores vero, v. g. Salmones, quos juncus non sustineret, e spina vel paxillo, per utramque maxillam adacto funibus appendi consuevisse? In hac ergo simplicitate subsistimus aliorum subtiliores cogitationes suis Autoribus relinquentes. Nemo vero non videt, utramque piscium tractationem rectissime negari de cetis, qui tantæ sunt gravitatis ut restibus ex malo navium grandiorum suspensi, ita tamen, ut ab aquis inferne quadantenus sustineantur, ipsas naves ad latus inclinent. Von der Schwere aber / inquit Martens p. 182. lencket sich das Schiff nach der Seite da der Fisch lieget.

§. V.

§. V.

Versus 22. 23. 24. aliqua saltem allegorica quædam continent, quæ ad Historiam Leviathanis naturalem parum aut nihil faciunt, neque in controversiam hic venire possunt. Quapropter eorundem recensione ac evolutione supersedebimus. Versus autem 25. prætereundus non est, qui sic se habet:

יָבֹרוּ עָלָיו הַכְּרִים יַחְצוּהוּ בֵּין כְּנַעֲנִים:

Verſio Schmidii:

Num fodient super eo socii. (Num) dividunt eum Negotiatores. Verbum כרה non solum fodere significat secundum Lexicographos, sed & epulari; unde Bochartus Hemistichium prius ita exponit: *An futurum est, ut Piscatores, qui societate inita ad belluarum piscationem se conferunt, eo capto, agitent conviviam lati?* Quod Germani nostri dicerent: *Den Zeitauff vertrincken.* Nec diffiteri possumus, sensum satis esse communem & bonam utriusque hemistichii connexionem: Veruntamen quia in versu proxime sequente denuo aliqua capturæ piscium species memoratur, (ut ipsemet agnoscit Bochartus), hinc B. Schmidius & hunc versum vel prius saltem hemistichium de singulari quodam piscandi modo intelligere maluit. Ejus verba hæc sunt: *Est itaque modus aliquis capiendi pisces, quo sive ex fluminibus, sive ex mari exiguos rivus ducunt, & in iis foveas fodiunt, ut in rivos & foveas pisces exeant & capiantur facile, obstructo inprimis rivorum ore. Pisces, qui hoc modo capiuntur, non tantum parvi sunt sed etiam majusculi. Sed Deus ut vastitatem & magnitudinem Leviathanis exaggeret, negat Leviathanem hoc modo capi posse; quis enim rivum & foveas satis magnas faciat, ut in eas exeat Leviathan? &c. vult itaque dicere: Num putas porro ita captum iri Leviathanem, ut socii piscatores fodiant super eo sapiendo rivum & foveas, in quas ex mari exeat, & sine*

labore , ut alii plurimi pisces capiatur , atque captus in frustra inter mercatores seu eementes dividi & divendi queat ! falleris , si hoc putas : nimis vastus est , quam ut hac ratione & tam facili capiatur : vix mare satis amplum & profundum est ; nedum ut rivus & foveas ingrediatur . Optime , apponit , in hunc sensum quadrat **וְלֵי** super eo , h. e. capiendi illius gratia .

§. VI.

Num hæc in balænam quadrent , mox videbimus ; dummodo prius de voce **בַּנְעִינִי** in altero versus membro pauca monuerimus . Nempe hoc nomen Gentilitium est populorum Cananæorum , qui ob maris viciniam mercaturæ & negotiationi erant dediti , hinc Cananæus κατ' ἐξοχήν idem est ac mercator : vid. Prov. XXXI. 24. Jer. X. 17. Hof. XII. 8. LXX. pro Cananæis habent **Φοινύκτες** , Aquila **μεταβέλλες** , mercatores . Neutrum male , secundum Bochartum . Nam quia Cananæi mercatura erant dediti , ideo Cananæus in scriptura passim pro mercatore sumitur . Porro Cananæus idem qui Phœnix . Nempe si Philoni Byblio credimus , qui Sanchoniathonem , veterem Scriptorem Phœnicium , græce transtulit , primus **χνα** , i. e. Canaan , Phœnicis cognomen habuit . Unde & Phœnice Regio **χνα** dicitur apud Stephanum . Huc usque ille . vid. p. 773 .

§. VII.

Quodsi jam Bocharti stare velimus de sensu totius versus sententia , nemo non videt , eodem jure , quo is judicavit difficili opera redimendas esse epulas ex venditione capti crocodili parandas , etiam triumphum de balæna capta arduum fore : Sin Schmidii magis arrideat sententia , facile patebit , cetum capi non posse scrobibus per pisces effossis , qui vix intra sinus a natura paratos & humana industria obstructos teneri possunt captivi . Refert enim Albertus apud Aldrov. p. 260. suis temporibus belluam in littus Frisæ impigisse , & cum incola ne cum muris refluxu evaderet , funibus quotquot offendere licuit , palis
altum

altum in terram ad actis proximisque scopulis atque edificiis alligassent, refluxu maris adjutam perrupisse omnia, unaque cum funibus evasisse in altum mare: Quale quid nescio an de crocodilo ulla veritatis specie dici possit.

§. VIII.

v. 26.

הַתְּמִלָּא בְּשָׂכוֹת עֲזוֹנוֹ וּבַעֲלָעַל דְּגַיִם רֵאשׁוֹ:

Versio Schmidii:

Num implebis spinis cutem ejus? & spiculo piscium caput ejus?

Vox שָׂכוֹת plurale femininum hic tantum occurrit in S. Bibliis

& עֲלָעַל non nisi hic & Es. XVIII. v. 1. sensu æque dubio & obscuro.

Bochartus tamen utramque ex Arabicâ lingua conatus est ex-

ponere, illam quidem *misile* hanc cum adjecto דְּגַיִם telum

piscatorium; in quo tanto promptius eum sequimur, quanto magis

Interpretes melioris notæ, Grotius, Codurcus, Schmidius cum

Rabbînis quibusdam eodem conspirant, & quanto consultius

est nobis, ex concessis disputare. Quod si tamen & nostræ con-

jecturæ locus daretur, nomen עֲלָעַל eodem manente sensu

formaremus a עָלַעְלָה Hebr. quod Ex. XV. 10. creditur significare

demergi in profundum, ut עָלַעְלָה sit instrumentum pro piscibus

capiendis in aquas demissum. Dicimus itaque cum Codurco,

certum hoc versu genus piscationis indicari, quo pisces singuli

secundum ripas fluminum & rivulorum capiuntur. Fuscinis

enim, sudibus & contis mucronato ferro & multifido armatis

utuntur, spargentes & jaculantes quasi tela in pisces, quos

transfossos extrahunt. Aristoteles brevissime sic exprimit:

λαμβάνονται τυπτόμενοι τοῖς τριόδροι; *Tolluntur fuscina percussis.*

Hist. anim. LIV. c. X.

§. IX.

Secundum hanc ergo explicationem in textu negatur, vel

saltem difficillimum pronuntiatur, cetos ope telorum aut fuscina-

rum capi; cum tamen recentiores communi consensu testen-

tur.

tur, hanc præcipuam esse balænas capiendi rationem, per hastas in corpora earum fibratas. Ita enim Albertus apud Aldrov. p. 261. *Tres piscatores parvis naviculis vehuntur ad locum, in quo belluas esse sciunt aut suspicantur. Ex illis duo remigant, tertius in navi stat paratus ad feriendum. Habet autem instrumentum, cujus hastile est de ligno abiegno, levitatis causa. In ejus extremo, qua comprehenditur manu, foramen est, cui inseritur funis validus longissimusque, qui in orbem complicatus in navi jacet, ita apte, ut nullo impedimento statim emissum hastile sequatur. Cuspis inferius triangula est sagitta instar, mucrone perquam acuto politissimoque, ut facillime penetret. Due autem lineæ quæ ad medium mucronem utrinque tendunt, non minus quam vel acutissima novacula incidunt. Superficies tota tenuis, lævis est & optime polita. In medio lateris quod opponitur angulo inferiori acuto, erigitur perpendiculariter ferrum illi lateri continuatum, ad cubiti altitudinem, vel paulo plus, & ibi habetur foramen, cui infigitur hastile. Porro cum jam cetus apparet, is qui hastile manu extensum tenet, alios quotquot potest similiter instructos advocat. Tum natantem in superficie aqua cetum, dum pisces ex alto persequitur, quam possunt profundissime feriunt, & mox relictis in vulnere instrumentis recedunt, quodsi cetus percussus statim in mare abeat, funes abscindunt, & oleum atque operam se perdidisse conqueruntur. Sin statim in fundum descendat, utpote valde læsus vulneribus fundo se affricat propter salsedinem vulneribus se insinuantem; atque ita magis magisque cuspidem sibi in corpus adigit altius, & mox laborem piscis e profundo ebulliens sanguis prodit. Ipse debilitatus paulatim fundi solum sequens appropinquat littori, donec apparere incipiat: & tunc ab incolis turmatim collectis multitudine navium & spiculorum circumdatus occiditur. Quæ sæpe dictus Fr. Martens de captura balænarum hodierna festis ἀυτόπτης tradit p. IV. c. VIII. integro his omnino consona sunt,*

paucis

paucis solum exceptis circumstantiis, sed prolixiora; quo proinde lectorem hujus rei curiosum remittimus.

§. X.

Enim vero hæc non obstant, quo minus textum Jobæum ad cetum applicemus. Etenim (1) ex dictis abunde constat, quam difficilis & periculosa hodiernum sit belluæ istius venatio, quodque non unius hominis labor ei perficiendæ sufficiat. (2) In textu quæritur saltem de instrumentis piscatoriis vulgo usitatis in captura minorum piscium, quæ profecto in balænis irritò conatu adhiberentur. (3) In textu speciàtim de capite Leviathanis negatur efficax teli penetratio, prorsus ut Fr. Martens de balæna l. c. p. 112. *Am Kopffe achtet er die Harpune (ita vocant nautæ telum piscatorium) nicht groß / weil das Speck gar dünne auff den Knochen sizet / welches die Wallfische besser wissen wie wir; denn wenn sie in Gefahr sind / da sie unserer Harpune nicht entfliehen können / geben sie lieber den Kopf als den Rücken zum besten; denn da reißen die Harpunen leicht aus / und der Fisch reißet aus wie ein anderer / dem es nicht gelüstet länger im Krieg zu dienen.* Interim ex his omnibus prædicatis, quæ de Leviathano interrogative prolata consideravimus, clarissime patet, e piscium genere esse hoc animal, non e quadrupedum aut amphibiorum, ut crocodilus. Absonum enim foret ac Deo indignum, tanto verborum apparatu docere, quod animal quadrupes non capiatur eo modo quo pisces.

§. XI.

Duo ultimi Cap. XL. versus difficultatem capiendi Leviathanem generalibus saltem dictis exaggerant, quibus non necessum est immorari. Pergimus itaque ad cap. XLI. quod prima sui parte mirandam corporis ejus structuram exponit, præmissò in v. 3. hoc velut exordio: *Ejus membra non silebo, nec statum virium*

virium ejus, nec structura gratiam; ut habet Bocharti Versio. Sequens autem v. 4. in Hebr. sic fluit:

מִי-גִלָּה פָּנָי לְבוֹשׁוֹ בְּכַפֵּל רָסְנוֹ מִי יָבוֹא:

Versio Schmidii:

Quis retexit facies vestis ejus? in duplicaturam freni ejus quis venit? Per faciem vestis rectissime intelligit B. Schmidius anteriorem partem vestis; sicut alibi in Scriptura etiam ora vestibus tribuuntur. Vestis autem ceti cum sine dubio sit cutis ejus, pars anterior vestis nihil erit aliud nisi labia ceti, de quibus ita Frid. Martens l. cit. p. 99. Die Leffzen sind ganz schlecht/etwas rund gebogen wie ein Lateinisches S und enden sich hinter den Augen vor den Floss-Federn. Wenn er den Mund zusammen ziehet/schliessen beyde Leffzen in einander. Recht vornen an der untern Leffzen ist eine Höhle / da der oberste / oder der vorderste Schnabel hineingehet / wie ein Messer in die Scheide gehet. Quærit itaque Deus, quis mortalium clausa balænae labia possit aperire? Nec sine emphasi. Oris enim scissura ad duodeviginti pedes porrigitur, teste Aldrov. p. 263. Quis ergo hominum possit tantam labiorum molem arcte clausam diducere, apertamque tenere? Posterius hemistichium varie redditur a variis. Alii *in duplicaturam freni ejus*, scilicet Leviathanis, *quis venit?* duplicaturam freni seu frenum duplicatum intelligentes de ea oris parte, cui frenum duplicatum in jumentis applicari solet; pro qua sententia militat, quod etiam Græce γάλινοι, frena, sunt labiorum pars quædam, observante Bocharto, & quidem extremus utriusque labii angulus, ubi committuntur, & qua frenum applicatur. Alii sic vertunt: *cum freno duplicato quis accedet*, nempe ad labia balænae. Et profecto, si versum sequentem una conferamus, facile patebit, in utroque id agi, ut ostendatur, Leviathani nullum injici frenum posse, ad demonstrandam magnitudinem & vim belluæ maximam, ipso in ore positam. Inde enim descriptionem ejus Deus auspicatur.

§. XII.

§. XII.

Cum ergo præcedens versus apertionem labiorum pro frenando ceto removisset, versus §. negat diductionem dentium, vel ejus, quod vice dentium est, pro freno injiciendo, hac quidem verborum serie:

דַּלְתֵי פָּנָיו מִי פִתַּח סְבִיבוֹת שְׁנָיו אֵימָה :

Versio Schmidii:

Ostia faciei ejus quis aperuit? Circuitus dentium ejus sunt terror. Nihil difficultatis habet hic versus: posterioris enim hemistichii subjectum explicat subjectum prioris, ut adeo ostium faciei nihil aliud sit quam rictus oris immensus, quem diducit cum libet, atque aperit valvarum instar, magno & horrendo hiatu, ut bene judicat Bochartus. Equidem B. Schmidio hæc ostia faciei videntur esse branchiæ, quas Germani vocamus *Fisch-Ohren*: sed obstat (1) quod branchiæ piscium non in facie sunt, sed in extremo capitis; (2) quod balænae ac cetorum omne genus branchiis destituuntur, ac proprie dicatum respiracioni organum habent, pulmonem inquam, qua etiam a ceteris piscibus distinguuntur, vid. Aldrov. p. 259. Ostia igitur faciei sunt ipsi circuitus dentium in altero hemistichio aperte nominati, quos si maxime de proprie dictis dentibus intelligere velis, æque facile in ceto, quam in crocodilo monstrabimus. Ita enim de cetorum speciebus Aldrov. l. c. *Dentibus quadam carent, quadam habent, quod Albertus quoque meminit, estque in iis haut exigua diversitas: in quibusdam enim serrati sunt, in aliis plani, humanis quodammodo similes, (quales inter alia rariora in museo studiosis ostendere soleo) in aliis longi, atque ut in apro exserti. &c.* Sed ut verum fatear, mihi hic non dentes propriissime dicti videntur innui, verum laminæ istæ balænarum corneæ nigræ, in utraque maxilla positæ (germanice *das Fischbein*) quæ, quia dentium vicem usumque in belluis hisce subeunt, etiam in textu Hebr. generali dentium nomine appellantur, in seqq. autem

versibus 6. 7. 8. uberius quoad mirandam structuram describuntur, ut mox ostendemus.

גְּאוֹה אֶפְיָקִי מִגְּנִיִּים סָנוֹר הוֹתֵם צָר:
 אַחַד בְּאַחַד יִנָּשׂוּ וְרוּחַ לֹא-יִבֵּא בִּינֵיהֶם:
 אִישׁ-בְּאַחִיהוּ יִדְבְּקוּ יַחְלַכְדוּ וְלֹא יִתְפַּרְדּוּ:

Versio Schmidii;

Magnificentia sunt robora clypeorum (ejus): clausum est signaculum arctum. Unum alteri adhæret, ita ut ventus non veniat inter ea. Vir fratri suo agglutinati: tenent se invicem, nec a se invicem separantur. Quotquot interpretum videre hæcenus mihi contigit, præter Aben Efram, quem Mercerus citat ap. Schmid. existimant his versibus agi de squamis Leviathanis: cum tamen cetos omnes corio duntaxat, non squamis tegi Plin. tradat, consensu meliorum naturæ interpretum pene omnium; quod ipsum etiam adversus Bootium doctissime probat ac fabulam Nearchi de ceto squamoso rejicit Bochartus p. 979. & seq. Neque vero etiam ullum in textu verbum est, quod suadeat hanc interpretationem, præterquam, quod ad nomen *clypeorum* in v. 6. omnes provocant; quasi vero clypeus & squama sint synonyma, neque aliud quid in balænæ corpore cum clypeo conferendum, præter squamas, quas non habet. Sane etsi probari posset, dari in ceto aliquo squamas clypeorum instar durissimas, non tamen induci possem, ut crederem, his versibus de iis sermonem esse. Nam v. 9. 10. 11. 12. manifeste iterum agitur de partibus capitis, ac v. 13. demum colli v. 14. carniū &c. mentio fit. Quis ergo crederet, a S. Scriptore hujusmodi saltus committi, ut (1) differeret de capite & ore, mox de squamis totius corporis, & postea rursus de ore & capite?

§. XIII.

Cum itaque pro certo asseruerim, his tribus versibus describi laminas illas in ore balænarum vice dentium positas, necessum

cessum erit, ut ex collatis inter se rebus & verbis probationem subjungam. Quam magnifica (1) sint robora aut laminæ (ut Bochartus vertit) clypeorum istorum, & linguam & gulam defendentium, eloquatur hæc relatio Fr. Martens loc. cit. p. 99. Das kleinste Fischbein sitzt vornen am Maul / und hinten nach dem Rachen zu / der mittelste ist der größte und längste / wol zwey oder drey Mann lang / dabey man leicht abnehmen kan / wie dicke ein solcher Fisch ist. An der einen Seite in einer Reihen sitzen dritthalb hundert Fischbein beneinander / und an der andern Seite eben so viel / machen zusammen fünff hundert und noch mehr Fischbein. &c. (2) quam probe unum alteri adhæreat, & quam arcte per ea clausum sit oris signaculum, sequentia docebunt: Das Fisch-Bein sitzt in einer platten Reihe aneinander / inwendig ein wenig eingebogen / und von aussen nach außwärts / nach den Reißzen gestaltet / überall wie ein halber Mond. Auswendig aber hat das Fischbein eine Höle / denn es ist umgeleget wie eine Wasser-Rinne / da es aufeinander lieget wie Krebs-Schilde oder Dach-Steine. Unde nemo non agnoscat, clypeis his utriusque maxillæ inter se junctis, inque commissuras suas mutuo demissis, ne vento quidem aut aëri in os balænæ aditum patere; quod fane nec crocodili, nec ullius piscis dentes æque poterunt præstare.

§. XIV.

Progrediamur nunc ad versum 9. 10. 11. 12. qui cognati sunt sensus & sic se habent:

עֲטִישְׁתִּי תְהֵל אֹרְעֵינִי כְעַפְעָפִי - שָׁחַר :
 מִיַּפִּי לַפִּידִים יִהְיֶה כִּדְוֵי אֵשׁ יִתְמַלְטוּ :
 מִנְחִירֵי יֵצֵא עֵשֶׁן כְּדוֹד נְפוּחַ וְאַנְמוּ :
 נַפְשׁוֹ נְהַלִּים תְּלַהֵט וְלֵהֵב מִפִּי יֵצֵא :

Versio Schmidii:

Sternutationes ejus splendere faciunt lucem: & oculi ejus sunt sicut palpebra aurora: Ex ore ejus faces eunt; scintilla ignis exsiliunt. E naribus ejus exit fumus; sicut (ex) olla exsufflata, & ahenea. Anima ejus prunas accendit; ita ut flamma ex ore ejus egrediatur. Longum foret singula verba excutere, quod pridem fecerunt optimi interpretes, Schmidius Drususque. Cumque de sensu eorum nulla alicujus momenti controversia sit, nec de versione Schmidii monendum quippiam videatur, nos jam de illius ad cetum applicatione solliciti saltem erimus. *Sternutationes* Codurcus optime refert ad fistulas illas, quæ spiraculi instar e pulmonibus balænæ per supremum caput exporriguntur, quasque diligenter suo more descripsit Fr. Martens p. 101. **Auff den Kopff sitzt der Buckel vor den Augen und Stirnen. Oben auf dem Buckel sitzt an jeder Seite ein Blase-Loch zwey gegen einander über / welche an beyden Seiten krumm gebogen seyn / als ein lateinisches S. oder wie das eingeschnittene Loch auf einer Bielle / daraus bläset er das Wasser ganz starck / daß es brauset wie ein holer Wind / welchen man höret / wenn der Wind in eine Höhle / gegen einer Ecke eines Bretes wehet / oder wie eine Orgel-Pfeiffe. Auff solche Art kan man den Wallfisch hören Wasser blasen auff ein Meil Weges / wann man ihn gleich nicht siehet / wegen dicker neblichter und regenhafter Luft / wie wir es selber gehört &c. quando vero (pergit Codurcus) jaculatur diffiatque in aërem sublimes fluctus, ita ad solis radios refulgent, ut quodammodo iridem imitentur. Et hæc de primo hemistichio.**

§. XV.

Oculos Balænæ veteres scripserunt admodum esse hebetes & contemnendæ tum magnitudinis, tum utilitatis. Pudet fabulas referre de pisciculo, balænarum a natura quasi cœcorum
duce,

duce, quam recentiorum experientia dudum explosit. Aldrovandus propius ad textum nostrum accedens, *Oculi*, inquit, *foris parvi apparent, intus capitis humani magnitudinem superant; Quamobrem falluntur ii qui bubulis majores esse negant.* Qua ratione satis feliciter procedit comparatio eorum cum palpebris auroræ. Ut enim lumen solis maximum, sub auroram per tenebras aëris superni debilius spargitur, ita grandes balænæ oculi sub prægravi superciliorum pondere ægrius quidem micant, sed non sine venustate tanto corpore digna.

§. XVI.

Ceteri tres versus hujus partis eandem rem pluribus verbis pathetice enarrant, nempe quantum ignis in se Leviathan habeat, seu nativi caloris, qui in ipso glacialis Oceani frigore per fumos & halitus se prodit: unde & Bochartus hos versus junctim tractavit, sed non tam ad Crocodilum quam Hippopotamum accommodare potuit, his denique verbis finiens: *Balæna*, fateor, *ut mole crocodilo major est, ita spirat vehementius. Ea tamen non vomit ignes, sed in sublimæ nimbos efflat*, ut in Plinio habetur l. IX. c. VI. Enimvero longe aliter Frider. Martens *αυτόπτης* de igne balænæ sentit p. 103. *Wir haben an unserm ersten Wallfisch befunden / daß er von seinem Lauff erschrocklich entzündet / daß er lebendig stanck.* Et paulo post: *Sonsten kan man auch daher die Schweiß-Löcher dieser Haut erkennen / weil sie rauchen wie siedend Wasser / wenn sie noch im Wallfisch ist.* Item p. 117. *Die Fische / so hart verwundet sind entzündet sich selbst / daß sie lebendig rauchen &c.* Quanto majorem igitur æstum ex ore & naribus egredi oportet, cum ipsa cutis per poros fumet? En textum nostrum hac etiam parte cum historia Balænæ pulcherrime consentientem.

§. XVII.

§. XVII.

Haftenus de capite balænae & partibus ejus Sacer Scrip-
tor, prolixè quidem satis, nec tamen præter meritum dixerat:
quandoquidem & Fr. Martens ait: Der Kopf ist der dritte
Theil vom Fisch. Etliche haben auch grössere Köpffe.
p. 98. Versu 13. igitur ordinatissime transitur ad collum.

בְּצַוְאָרוֹ יִלֵּן עֵוֹ וּלְפָנָיו תְּרוּצַ דְּאָבָה :

Versio Schmidii:

In collo ejus commoratur robur; & ante eum gaudet sollicitudo.
Bochartus ad prioris hemistichii verba, *in collo ejus moratur
robur*, falsè quærit: *An in collo balænae, quod nullum habet?*
statimque provocat ad Scaligerum scribentem: *Collum habent
Triton & crocodilus: Balæna & Delphin nullum.* Postea tamen,
cum ex Aristotele probat, Crocodilum habere collum, eo quod
pulmonibus respiret, etiam imprudens balænae collum asserit. Ita
enim Aristoteles Lib. IV. de part. Anim. c. X. ἀυχένα ἔν τὰ μὲν ζωο-
τόνα πάντα ἔχει. ὅσα μὲν γὰρ πνεύμονα ἔχει, καὶ ἀυχένα ἔχει. τὰ
δὲ μὴ ἀναπνεύοντα οὐραθεν, ἔκ ἔχει τῷ τὸ μόρον. *Collum omni-
bus viviparis est. - Quæ enim pulmonem habent, collum etiam
obtinent. Quæ autem spiritum extrinsecus non accipiunt, carent
hac parte.* Jam subsumat qui vult, annon & balænae collum
competat, quæ & pulmonibus gaudet, & viviparum animal est.
Crediderim tamen in textu simul respici ad pinnas balænae, qua-
rum duas maximas in lateribus colli habet, quibus natat & ca-
tulos in metu occultat, juxta Aldrov. p. 26. Posteriorius hemisti-
chium egregie Bochartus explicat e locutionibus Poetarum, qui-
bus Marti ac Minervæ, præliaribus diis, comites & armigeri
assignantur terror & metus, quia robore suo & violentia obviis
quibusque terrorem incutiant: eo igitur lectorem ablegamus,
cumque nemo dubitare queat, quin idem de balæna, horrenda
aspectu & stupendo robore bellua, rectè prædicetur, ideo plura
addere superfedemus.

§. XVIII.

§. XV III.

ψ. 14. a collo ad carnes Leviathanis progreditur Scriptor
sacer :

מפלי בשרו דפקו יצוק עליו בל-מוט:

Verfio Schmidii :

Decidua carnis ejus coherent : firma est (caro ejus) in eo , nec dimovetur. מפלי בשרו Tremellius vertit *Melandrya* ex Plin. L. IX. C. XV. & in notis ita se explicat : *Caro ejus solida est, neque in Melandrya sive partes assulatim diffilit , ut aliorum piscium caro. Nam Melandrya vocantur illa membra , castis quernis assulis similima &c. Eodem fere tendit B. Schmidius , observare licet , (inquiens) in carne non tantum piscium , sed etiam animalium , quod suas habeat fibras , aut majusculas, rotundas latasve particulas , quæ a se invicem facile separentur ac divellantur ; quo autem solidior est caro , eo minus ejus particulae sunt separabiles , & a se invicem decidua. Putârim itaque, Deum hic velle dicere , quod caro Leviathanis sit solidissima , adeo ut fibrae & particulae , quæ in aliis piscibus & animalibus sunt deciduae , & facile divelli queant , in ipso sint maxime compressæ & quasi conglutinatae. Ita vero etiam de carnibus balænae Fr. Martens p. 105. Sein Fleisch ist grob und hart / wie Stier oder Bullen-Fleisch anzusehen / ist mit vielen Sähen durch gewachsen / ganz dürr und mager so man es kocht / weil die Feiste allein auf dem Fleisch unter der Haut sitzt : & Aldrov. p. 261. Cetorum omnium carnem duram esse & concoctioni resistentem medici omnes profitentur.*

§. XIX.

Claudit descriptionem corporis balænae v. 15. cordis exprimens firmitatem his verbis :

לבו יצוק כמו-אבן ויצוק בפלח תחתית:

Versio Schmidii :

Cor ejus firmum est sicut lapis ; & firmum est sicut molaris inferior. Optime Bochartus in h. l. *Plerique de animo hoc intelligunt ; ego de viscere cordis , quod in omnibus animalibus maxime firmum esse oportuit , ut fons nativi caloris ibi esset in tuto.* Cordis officium , docentibus Anatomicis est sanguinem in totum corpus protrudere , eamque rursus una cum chylo & lymphâ recipere , rarefacere , ac ut loquuntur , vitalizare. Kosmopol. Hist. nat. p. 339. Molit igitur quasi chylum & sanguinem constrictione vibrarum musculosarum , quas tanto firmiores esse oportet , quanto major sanguinis vis corpore continetur. De balæna autem , etsi anatomica cordis descriptione jam non suppetit , testetur hic effectus a Fr. Martens notatus p. 117. **Etliche Wallfische blasen auff's allerletzte Blut / nachdeme sie verwundet werden. Welche Blut-Blasen / besprizen die Männer in den Schluppen häßlich / und die Schluppen werden davon roth gefärbet / als ob sie mit Farben angestrichen wären. Ja das Meer / wo der Wallfisch hingelauffen / ist roth gefärbet / welches ferne zu sehen ist / wenn die Meers-Wellen es nicht voneinander treiben.** Testatur etiam de firmitate cordis balænae difficultas ejus occidendi , de qua supra occasione capturæ illius , aliqua ex Aldrovando adduximus & sæpe dictus Fried. Martens plura passim memorare.

§. XX.

Jam véro cum sacro Scriptore (γ) ad spectandam Leviathanis fortitudinem procedimus , de qua v. 16. ita infit :

מִשְׁתּוֹ יָגוּרוּ אֵילִים מִשָּׁבָרִים יִתְחַטְּאוּ ;

Versio Schmidii :

Ab elatione ejus timent potentes ; a confractionibus (qua) expiantur. Placet hic præ aliis Mercerus , qui elationem in priore Hemistichio intelligit de eo actu , ubi cetus se in mari attollit,

lit, *confractio*nes vero in posteriore eas statuit, quas cetus in mari facit, dum sese huc illuc jactans fluctus excitat, confringit & collidit; imo potius, quas post præviam elationem in altum ruens mari infert.; Wenn solche grosse Bestien mit dem ganzen Leibe aus dem Wasser sich erheben und aufsteigen / und mit einem Schlag / als ob eine Canon gelodset würde / ins Wasser zu Grunde fahren: ut de balænis scribit Joh. Schreier in Itiner. p. 75. De tempore hujus phænomeni addit Fr. Martens p. 109. Vor einem Ungewitter toben und schlagen sie im Wasser / daß das Wasser staubt. Neque adeo mirum, si secundum textum nostrum fortes timeant has elationes, nondum assueti & a confractioibus illis *aberrent*, (quæ propria significatio est verbi חוה, quod Schmidius ex sua hypothese *expiare* reddidit) i. e. Confundantur, nescientes quid faciant aut quo se vertant, ut iterum Mercerus.

§. XXI.

Versus sequentes 17. 18. 19. 20. denuo cum Bocharto jungimus tanquam omnes cognati sensus, quippe fortitudinem Leviathanis ad versus arma hominum extollentes.

מְשִׁיגָהּ חֶרֶב בְּלִי תְּקוּם חַנּוּת מִסֶּע וְשָׂרְיָה:
 יִחְשַׁב לְתֵבֶן בְּרוּל לְעֵץ רִקְבֹן נְחוּשָׁה:
 לֹא יִבְרִיחֵנוּ בֶן־קֶשֶׁת לְקֶשֶׁת נְהַפְכוֹ-לוֹ אֲבִינִיקָלֵעַ:
 בְּקֶשֶׁת נְחֹשְׁבוֹ תוֹתָהּ וְיִשְׁחַק לְרַעַשׁ כִּירוֹן:

Versio Schmidii:

Si quis attigerit eum gladio non stabit (gladius) (sic) hasta rejectio est & lorica. Reputat pro palea ferrum: in lignum putridum, chalibem. Non fugat eum filius arcus: in stipulam vertuntur illi lapides fundæ. Tanquam Stipula (ab illo) reputantur (arma) Thothach: & ridet ad commotionem lanceæ. Non est instituti nostri hæerere in singulis verbis, neque id etiam necessum, cum quoad sensum a Schmidii versione parum aut

nihil discedant probatissimi Interpretes , nisi quod Bochartus vocem מוט in versu 17. ex Arabico vestit *telum* & שריה *spiculum* aut parvam sagittam , quarum illam Schmidius *rejectionem* transtulit, hanc *loricam* : In versu autem 20. nomen תותח quod Schmidius ut in certum genus armorum in versione retinuit , Bochartus exponit de *fuste*. Id ergo potius agemus ; ut appareat qui dicta hæc omnia quadrent in balænam. Observari autem velim (1) Leviathanem in textu non dici absolute armis inviolabilem , sed arma non multum curare nec facile illis succumbere , quod verum est de balæna etiamsi cutis ejus telis pervia sit. Cuti enim pinguedo non nunquam pedis altitudine subest, teste Aldrov: p. 262. quam pene vere oportet ferrum ut sanguinis vel tantillum sequatur. (2.) Textum loqui non de telis quibuscunque , sed vulgaribus ac in præliis hominum cum hominibusolim usitatis, qualia sunt gladius, lancea, jaculum spiculum , sagitta , lapides, fundæ , fustis , hostia ! Non enim nisi horum in textu mentio fit. Atqui nemo ignorat, balænam ista non metuere neque iisdem capi posse. Aldrovandus sane in loco supra excerpto p. 261. vix satis exprimere potest curam & diligentiam Piscatorum in præparandis telis maximis in balænas fibrandis , additque alterum venandi modum similem, nisi quod spiculum non verberare, manu, sed ictu validissimæ balistæ ceto infigitur. Quin etiam Frid. Martens testis est, daß die Harpunen die besten seyn / welche von reinen Stahl gemacht sind und ganz zehe gehärtet / als wenn man sie um einen Finger winden solte / daß sie nicht abspringen / weil manchmal wegen einer bösen Harpunen in einen Augenblick ein 1000. Thaler / wie hoch sie einen mittelmässigen Wallfisch schätzen / verloren werden. Idem quoque scriptor hinc inde queritur, quod omni cura & sollicitudine adhibita caveri tamen non possit, quo minus spe sua sæpe numero excidant Piscatores. Ait quoque, sponte sua confanescere vulnera a telo
pisca-

piscatorio inflictæ : Solche Fische bekommt man viel / welche von andern auff solche art mit Harpunen geworffen seynd / und wiederum geheilet welche weisse Narben haben.

§. XXII.

תַּחֲתֵי חַרְוֵי חָרָשׁ יִרְפָּד חָרוֹץ עַל־טִיט :

Sub ea sunt acumina testæ : Substernit acutum (saxum) sicut lutum. Quot verba sunt in hoc dicto, tot in terpretum de sensu ejus prostant sententiæ, si non plures : Speciosissimæ sunt hæ duæ, quarum una versum hunc cum prioribus connectens de armis exponit & eorum contemptu, q. d. *vibrati in balenam lapides tanquam diffractæ testæ resiliunt & in profundum abeunt, ferrum quoque comminutum in profundum maris dejicit, ubi lutum est*, ut habet *ⲱⲁⲉⲓⲪⲉⲓⲟⲩ* Tremellii. Altera vero accipit de scopulis marinis saxisque in fundo maris hærentibus super quibus illæsa feratur balæna. Atque secundum hanc sententiam argumentum procederet a majori ad minus. h. m. Quid metuendum erit balænæ ab armis hominum, quæ per rupes & saxa maris libera & illæsa transit? Nostrum jam non est tantas componere lites, sed sufficere potest, quod neutra explicatio dextra sumta ceto inimica est, ut ex consideratione ante dictorum cuius patere poterit. §. XXIII.

Transimus igitur (δ) ad actiones Leviathanis in textu nostro expressas v. 31. 32. his verbis :

יִרְתִּיחַ כַּסִּיר מְצוּלָה יָם יִשִּׁים כַּמְרַקְחָה :
אַחֲרָיו יֵאִיר נְתִיב יַחֲשֵׁב תְּהוֹם לְשִׁינָה :

Versio Schmidii :

Feræ facit sicut ollam profundum : mare ponit sicut mixturam Apothecarii. Post se lucere facit semitam, reputat abyssum pro canitie. Duo sunt, quæ his versibus de Leviathane prædicantur (1) exagitatio undæ marinæ, quæ cum ferventis aquæ in olla ebullitione & unguentorum coctione vel mixtura comparatur ; (2) vehementis atque rapidissimus motus per tractus oceani, in quo quasi viam aliquam candicantem & conspicuam post se relinquit.

Utrumque quasi totidem verbis ab historiæ naturalis scriptoribus de balæna memoriæ proditum reperitur. Quod enim prius attinet præter loca §. 14. adducta balænam *nimbos in sublime efflan- tem* Plinius quoque libr. IX. cap. VI. memorat, ejusque actionem *bullantium aquarum sufflationem* nominat c. VII. Jungi tamen meretur & hic locus e Frid. Martens p. 118. Er blaszet mit gan- zer Macht wenn er verwundet worden / wie man von fer- nen höret ein Canon Kugel sausen. Wenn er aber ganz ermüdet / lautet es wie ein Buz-Kopff (de quo antea p. 93. dixerat) Wasser blaszet / auch also Tropffen-Weis. Denn er hat keine Macht mehr das Wasser in die Höhe zu trei- ben / derowegen lautet es als wenn man einen leeren Krug unter Wasser hält / daß darein das Wasser rinnet. De al- tero phænomeno, idem Auctor p. 106. Die Floss-Feder sind seine Ruder / und nach des Fisches Grösse mag er sich mit diesen beiden Floss-Federn fort riemen / also geschwind wie ein Vogel / und machet einen langen Strich im Meer / als eine Durchschneidung vom Meer hinter einem grossen Schiff / welches in schneller Farth oder Sturm seegelt / da das Wasser sich alsobald nicht bensammen geben kan / son- dern nach der Durchschneidung ein wenig schlecht bleibet. Et p. 108. Indem er aber laufft macht er einen Strich im Meer / als wann ein Schiff durchgefahren ist / mit vielen Wirbeln. Bochartus ut vers. 22. ad Crocodilum accommodaret nihil potuit dicere, præterquam quod in maris (i. e. fluminis) fundo se jactans; agitatione sua bullas in aquis excitet, atque eas, uligine & cœno commotis, ita inficiat, ut unguenti speciem præ se ferant: quæ utrum emphasin textus, non dicam exhaurient, sed attingant, æquus lector judicet.

§. XXIV.

Nos interim ad finem properantes, de duobus postremis ca- pitis versibus id saltem monemus, describi in illis (ε) eminentiam ceti omnes bestias, etiam terrestres. Ideo enim dicitur v. 24. *non esse super pulvere, sive terra, quod cum eo comparari possit,*

& v. 25. fertur *omne altum despicere & rex esse super omnes filios elationis*. Tremellius vertit super omnes feras ex Cap. Jobi XXVIII. 8. Quæ sane omnia, si magnitudinem spectes & robur ad solas istas maris belluas referre licebit: quemadmodum ex adverso Bochartus nullum alium Crocodilo suo principatum ausus est vindicare, præterquam inter reptilia, miras quærens subtilitates in voce *אֶרֶב* *pubvis*.

C A P U T IV.

Objectiones Bocharti & aliorum removens.

§. I.

DUm præcedenti capite omnia Sacri Scriptoris de Leviathane dicta ad cetum spectare ostendimus, satis factum etiam una est objectionibus cunctis, quippe quæ nihil aliud continent, quam hoc vel illud dictum ad cetum non quadrare. Itaque hic finire poteramus, nisi operæ pretium videretur, aliorum in gratiam argumenta Bocharti prout ea in compendium redegit B. Pfeifferus, recensere potius, quam prolixè revellere.

§. II.

Obj. (1.) quod capite XL. 26. & C. XLI. v. 17. 18. 19. de duritie cutis Leviathanis dicitur, falsum esse de ceto, cujus cutis quovis cultello scriptorio facile penetrabilis. Resp: In utroque loco sermonem esse non de qualicumque cutis penetratione, sed de certo modo capturæ Leviathanis, eaque non tam omnino impossibili, quam difficili, at Bochartus ipse fatetur p. 774. scribens: *Hæ ad Jobum Provocationes tantum eo pertinent, ut scias, non esse quod sibi quis facilem de eo animali spondeat victoriam &c.*

§. III.

Obj. (2) quod capite XLI. v. 13. de collo dicitur, ceto non convenire, qui scilicet collum non habet. Responsio data fuit a nobis §. XVII. ubi ostendimus & collum habere balænam & majus in eo robur, quam vel Crocodilus, vel ullum aliud animal. Obj. (3.) quod capite XLI. v. 5. 6. 7. 8. de ordine dentium & squamis narratur,

ratur, de ceto esse falsissimum, utpote qui & dentes nullos habeat & cutim glabram. Respond. (4.) cetorum quasdam species dentibus gaudere §. XII. cap. præc. monstratum fuit, simulque evictum, quod versus citati multo commodius atque ordini descriptionis convenientius explicentur de laminis corneis in ore balænarum dentium vice positis: unde (β) objectio de pelle Leviathanis squamosa sua sponte corrui. (4.) ex Cap. XLI, v. 9. instat Bochartus: *Qui balenam hic intelligunt:*

*Monstrum horrendum, in forme, ingens, cui lumen ademtum, velim dicant, quid aurore radiis simile habeant balenæ oculi, quos magni auctores scribunt prægravi superciliarum pondere aut arvina statim obrui, cum scilicet bubulorum magnitudinem parum excedant. Unde est, quod amisso duce fertur talpa cæcior in fata & scopulos impingere. Sed resp. (a) nondum probasse Bochartum, quod oculi cum palpebris auroræ computati ex intentione Sp. S. significant oculos insigniter splendentes quandoquidem prima auroræ lucula quam palpebræ auroræ exprimere videntur, fat debilis & obscura est. (β) Oculos balenæ bubulis non esse majores, expresse negari ab Aldrovando: vid. cap. præc. §. IX. (γ) Grandia balenæ supercilia favere potius comparationi cum palpebris auroræ, quam eidem adversari. (δ) De pisciculo balænarum duce nihil norunt recentiores capturæ balænarum expertissimi & profecto fabula ista veterum seipsam evertit. Qui enim Balæna, in majoribus rebus, ut scopulis cernendis cæca, pisciculi motus & signa observare poterit. Si dicas non visu sed tactu, per motum aquæ: at, quid in vasto ac tempestuoso mari nunquam non obtingent hujus quoque sensus impedimenta? (ε) Videat Bochartus quid responsurus sit Thevenotio de oculis Crocodili ex *avrovia* sua scribenti: **Das Crocodill hat mittelmässige und sehr dunckele Augen.** Itiner. p. 2. p. 342. Plura adversus hypothesein ejus de Leviathane in medium proferre supersedemus, contenti scilicet defensione communioris sententiæ, eoque labore defuncti pedem hic figimus. Deo vero soli sit honor & gloria sempiterna.*